



Philosophical Transactions

Please note: Due to an error in the print volume, the page numbering in this article may contain either page numbering skips, or page numbering repetitions, or both. However, the article content is presented in its entirety and in correct reading order.

Please click on "Next Page" (at the top of the screen) to begin viewing the article.

I. *Epistola* D. Antonii Mesaporiti, M. C. Genuensis ad Cl. Antonium Vallesnerium, *Med. Pract. Prof. P. Patavin. de Eruptione Sanguinis e singulis fere corporis humani partibus; & de dolore Ventris ab intestinis in crassam & cartilagineam substantiam concretis orto.*

GRratulari tibi, Amice, quem jam diu plurimi faciebam, venio, sic tua te studia disposuisse, ut quo æternitati vivas ampliori nomine non indigeas. Quis enim ambigat te ad summum gloriæ fastigium ipsis miraculorum alis evehendum, qui monstra, & extra naturæ leges pacta novis typis illustrare satagis? Videbaris literarii honoris apicem attigisse arduo illo quidem, sed felici opere, quo ingeniosis experimentis prima viventium stamina detexisti, animaliumq; principia per tot disputationum ambages antea agitata ad sensum usque manifestissima incredibili studio reddidisti. Sed altius adhuc potuit assurgere liber spiritus, & quandoquidem ipse supra ordinem est, ea persequi sibi proposuit quæ extra ordinem sunt. Vellem aliquod observantiæ, & amoris erga te mei, ob tantam excellæ mentis alacritatem, documentum præbere, quod certe dignius præstare posse non arbitror, quam si aliquam ex rarioribus meis observationibus tibi dicaverim. At conquererem oblivionis rubigine pene deletas plurimas & digniores, quas è cadaverum inspectionibus dudum collegi, nisi penso faveret recens longeq; curiosior *formosæ Virginis* casus, ad quem libens convertio calamum, nil dubitans ita me pro genii tui delectatione facturum.

Honestissima visendæq; speciei Juvenis, cui natura ad 18 annum, integerrimam valetudinem hilaremq; genium dederat,

dederat, per precipices nunc ducta morborum modso incidit in fluxum sanguinis ex inusitatis partibus, & tandem in deterrimam partialis sudoris speciem ex ambitu corporis. Quamprimum in eâ ætate concipiendæ spei aptissima gravi sensu correpta fuit, post diuturnum stomachi laborem coepit sanguinem tussi expuere occasione ementi-tæ pleuritidis, quâ die nonâ *Aprilis* febricitabat cum dolore lateris, & difficili respiratione: *Quarto* insultûs die thoracis morbo evanescente, capitis dolore, quo & antea laboraverat, gravari, & sine levamine sanguinem fundere è naribus observabatur quocirca hujus copiam è pede detraxit *Chirurgus Familiaris*, qui bis eductum primis diebus ex brachio gelatinosum inspexerat. Verum haud decresceret morbus, qui conceptum virus in promptu habebat movere ad ulteriora; hinc superaddita est afflictæ *Juveni* Cardialgia, unde vomitus primum visceris, & viridis humoris, mox sanguinis, nec proinde capitis ægritudine allevabatur, quin circulo quodam ordinato recurrentibus purpureus liquor ex utraque parte, & ad multos dies prodibat. Malorum importuna vicissitudo nimis adhuc increbuit, cum circa initium *Maii* erumperent Menses, & prout ipsi mos erat in sufficienti mensurâ. Quid inde opinaretur *Chirurgus*, qui usq; modo solus curationi aderat, haud potui ab ipso ediscere. *Manna* potionem exhibuit post septimum diem, & ab ea licet non parum perturbata in pejus ægra ruere videretur, attamen paulo postea febris in totum cessavit, quæ antea plus vel minus una cum vigiliis ingravescens fuerat continua. Vix per integram hebdomadam habuit otium morbus, cum febris rursus invasit comitata dolore artuum, & potissimum ventris, quibus licet sese citius expediverit absumpto nempe *oleo Amygd. dulcium rect.* sine igne extracto, nihilominus constans vomitionis molestia, & sanguinis jactura summopere urgebant.

Diro Symptomati ut occurrerent Clarissimi Medici, consuluerunt in minori dosi, & per vices sanguinem ex
Salvatella

Salvatella detrahere, anodina, adstringentia, & alia quam plurima adhibere; quod etsi executioni mandatum fuerit, inconstanti methodo procedens affectus, frequentiores excretionum vias fere omnes cum attigisset, cepit per inusitatas errare.

Cum igitur circa initium *Junii* thesaurus vitalis ex auribus effluxisset, paulo post curiosis spectaculo ex acumine digitorum primo manuum, deinde pedum se fundere visus est: Mox ex umbilico, & ex angulo oculi; hinc pluries per sudorem, inde tandem ex medio pectore, postea ex pede, eoque loci, ubi tunditur Saphena, tandem ex utraque volâ manuum, & ex opposita parte; post biduum ex mento, noctu ex acumine linguæ, ita ut quatuordecim dierum spatio discrimen hoc, veluti fabulosum maxima ex parte absolverit. Motus novitate rei, & Amicorum impulsu veni ad Juvenem, quam miratus viribus mediocriter constare, & jucundo vultu singula mihi enarrare, prout ab aliis audiveram: Adhuc cernere erat superstitem cicatriculam in volâ sinistrae manûs ad instar inæqualis puncturæ leviter impressam, unde sanguis pridie fluxerat, retulitq; id non sine sensatione tristi factum fuisse, uti semper contigerat, cum ex speciali loco prodiret; ubi vero ex pectore, aut aliis partibus sudoris specie emanaverat, nullum apertum pori reliquerat vestigium; id tantum ex indusiis patebat, quorum duo vidi ad latitudinem scuti aurei cruore roseo sparsim colorata. Die 14 *Junii* apparentibus menstruis justò copiosioribus, inde sublato morbum nonnulli crediderunt, potissimum quòd viginti dierum inducias fecisset. Verum inchoato altero sudoris exordio, & ad multum tempus procedente miscella debilitari sentiebatur, & sanguis discolor apparere. Hinc recreandi spiritus, mutantæq; fortunæ gratiâ in alterum aerem sese transtulit. At qualis secesserat, rediit ad Urbem die quinta *Augusti*, imò infirmior, quod præter morbi acerbitatem, artis quoq; methodo exhaustâ ulteriorem jacturam fuisset experta. Hinc non dissimili modo progrediente ægritudine, & paucis tantum

tantum habitis intervallis effundendo sanguinem modò ex unâ parte, modò ex alterâ, sæpius per sudorem, quod reliquum erat ejusdem mensis, & medium *Septembris* confecerat. Peti egræ domum, & confabulando diutius cum immorarer, accidit, quod forte expetiveram, ex dolore lancibanti in extremo unius digiti manûs admonitam fuisse sanguinem inde extillaturum, quem notavi, veluti ex profundiori puncturâ, mox ex altera parum distantî guttatim decidere, & iudusium supra Pectus recenti maculâ signari videram priusquam recederem. Post triduum mirabiliorem sanguinei sudoris copiam exhibuit, quo se multis crucibus aliisq; characteribus Divinæ Passionis indusia supra pectus depingebantur. Hujus rei primi inspectores Astrologis assimilandi videri poterant, quòd, ut isti ex Stellis, ita illi ex sanguinis Asterismis varias figuras propria imaginatione componerent: vere tamen clareq; apparebant figuræ; Unde factum id fuerit prorsus ignoro; & quoniam *Sacri Antistites* id strictius inquirendum minimè judicarunt, ita veritati suæ relinquens ad finem Historiæ redeo. Vel nullum, aut exigui momenti sudorem deinceps passa est. Attamen reticere non debeo ex levi excoriatione supra maleolum casu torturæ pedis factâ uberiolem inde penumferositatis effluxisse, ut stypticis remediis, & compressis fasciis non facile sisteretur.

Inauditi eventûs difficultas commovit ingenia Physicorum: Non naturale prodigium existimasset vulgus, nisi plures Historiæ in promptu fuissent. Omnium Senior Medicus *Fabricsius Ardisonus*, qui nonagesimum attingit annum, retulit mulierem annorum triginta se olim curasse, cui suppressæ erant menses, & sanguis ad multum tempus ex oculi angulo fluebat, revocatis nimirum Menstruis ad consueta naturæ. Extant & alia exempla videnda apud Auctores, *Benivenium, Hollerium, &c.* Attamen horum omnium obstructio aliqua inculpanda venit, unde sanguis extra vasorum confinia cogeretur. In præsentî casu alio ratiocinio procedendum est, quòd obstructionum idea non obscure locum

non habeat. Sanguinis tantum subtilissima crasis in conspectum venit, unde color ejusdem roseus in principio, mox dilutus satis apparuit. Nec aliquis dicet in principio fuisse observatum gelatinosum, hoc enim minimè evincit crassiorem substantiam, sed partium tantum concrecibilem majorem elixationem, idq; præsertim fit obvium, cum educitur ingravescente febris accessione. Pluribus abhinc annis aderam cum Nobili filiolæ, occasione acuti morbi vena tundeatur, & vidi album serum & tenue emanare loco cruoris, & concrevit. Attamen haud inficior eam causam, ut adæquatam, minimè posse sufficere, multo minùs posse arridere Naturæ Mystis, quibus certam & insensibilem quandam cruoris dispositionem hariolandam mitto. Hoc studium deponere me plura docuerunt, non modò, quod praxim exercentibus, cum ad minus sensibilia distorquemus ingenium, urgente ægritudinum statu, fallimur; verùm quia & ipsæ *Observationes Anatomica* plane evincunt ut plurimum inveniri aliquod insigne, quod in mente excidere nunquam poterat. Liceat mihi dare exemplum, quia rarissimum, etsi minus faciat ad rem propositæ Historiæ.

Accessit curandus nuper elapso mense *Octobris* Vir Rusticus, & ex multo tempore extenuatus, laborans torminibus ventris, atq; Hypochondriorum Spasmodicis contractionibus; nil fere dejiciebat per inferiora, & continuo languore exolutus spiritu tandem defecit. Non esset qui non deduxisset morbum hunc ad Siccatorium ex *Hippocrate* appellatum, maxime quod quæ ab Hypochondriis obstinate vel deformiter procedunt ad Proteiforme referre omnes consuescimus; hinc in fermentis & succis Tartareis positâ causâ Syndromen totam explicare parum quisq; laborasset. Aperto cadavere invenimus intestina crassa, præcipue ubi in vicinia *Duodeni* flectuntur, mediis protuberantiis callosis invicem, & cum adjacentibus consolidata, ut obscurum esset unum ab altero disjungere, & quod pejus erat, eorum substantiam ad instar duriunculæ cartilaginis concretam, & crassam, ut nulla fere cavitas amplius superesset. Itaq; re-

jiciens

sciens ulteriorem indaginem eorum quæ magis recondita sunt dicam cum Philosopho morali, *totam rerum naturam umbram esse aut inanem aut fallacem, neq; me irasci illis qui nihil nos scire volunt, neque illis qui me hoc quidem nobis relinquunt.* Tu interim amice, quem diutius amare me vellem, ut diu valeas cura.

Genuæ, Decembris 5. 1703.

II. Gulielmi Cockburni M. D. Solutio Problematis de Purgantium & Emeticorum Medicamentorum Dosis determinandis in quacunque Hominis Ætate, Temperamento, Temperamenti varietate per universum Terrarum orbem, ab ipso mense Martio proxime elapso, in Actis Philosophicis propositi. Et Illustri admodum Doctore D. Edwardo Southwell, Annæ Regiæ a Secretis Hibernicis, &c. consecrata.

Quo rectius diversas emeticorum & purgantium Medicamentorum Doses, pro Temperamentorum & Ætatum varietate, decernamus. Supponendum est, *Primo*, istiusmodi Medicamenta nihil prius posse operari quàm in Sanguinis massam appulerint, & eidem penitus immisceantur: Constat enim, ni Nauseam moveant, nullum ab iis effectum sensibilem produci multo post tempore quo in eandem devehì possint. *Secundo*, generaliore eorum effectum esse temperamenti sanguinei aliorumque Liqueorum purgantium Alterationem.

Ex hisce duobus Postulatis concludimus, quod ubi Sanguinis Crasis est eadem Medicamentorum Doses, ad certum aliquem eliciendum effectum, sanguinis Quantitati proportionales